



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quænam sint eiusmodi solennitates? Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

TRACTATUS SEXTVS DE SOLENNITATIBVS CONTRACTVS MATRIMONII.

CAPUT I.

CAPUT II.

Quenam sint eiusmodi Solennitates?

De prima Solennitate, quæ requirit præsentiam Parochi, & Testium.

§. I.

Qua ratione hanc inducere Tridentinum potuit?

TAmetsi hoc explicare pertineat ad Theologos Scholasticos, breviter tamen id innuere, alienum à nobis non est.

1. Propter bonum commune, bonamque gubernationem valet potestas humana irritum reddere contractum civilem, siue ipsum contractum irritando, siue inhabiles reddendo personas ad hoc, vel illo modo contrahendum, ut defacto jus civile gessit, quando irritavit contractus Minorum initos sine Tutoris licentia, &c. & Jus Ecclesiasticum, quando irritavit Professiones Religiosas ante annum 16. ætatis, & ante annum Novitiatum emissas; ergo Potestas Ecclesiastica, in qua sedet summa auctoritas circa ea, quæ ad bonum commune, & circa gubernationem Fidelium pertinent, potuit, ad tollenda innumera scandala, quæ oriebantur ex Matrimoniis clandestinis, potuit, inquam, irritum reddere contractum Matrimonii initum sine præsentia Parochi, & Testium, irritando ipsum contractum sic celebratum, immò, & reddendo personas sibi subditas inhabiles ad contrahendum sine dicta præsentia.

Kkk Hoc

L
a Trid. sess.
24. c. 1.
de ref. ma.
4. qu.
2. 27.
3.
Sanc. lib.
matr. d.
m. 1.
Pontif.
m. 6.
anch.
m. 2.
Verric.
lib. 1. c. 4.
14.
infra.
de obli.
t. c. 4.
1.
b. infra c.
35. l. 2.
c. Boss. de
matrim.
cap. 1.
f. 32.

DUæ potissimum sunt: Altera, inducta à Tridentino, a illa est, ut Matrimonium contrahatur coram Parocho, & Testibus. Altera, à Sacris Canonibus aliàs lata, sed ab eodem Tridentino ibidem confirmata, est, ut antequam Matrimonium per verba de præsentia celebraretur, præmittantur denunciationes. Est etiam alia tertia minoris momenti solemnitas, seu cerimonia, qua Matrimonium contractum benedici à Parocho solet, & de hac etiam erit suo loco paulò inferius opportuna tractatio.
2. Inter illa autem duo priora maximum discrimen intercedit; Si enim non adsint Matrimonio Parochus, & Testes, nullum est Fidelium Matrimonium, & sine dubio graviter peccabitur: At, si non præmittantur denunciationes, peccabitur quidem modo inferius b explicando, sed validum erit matrimonium.
3. Dixi (Fidelium) nam ad Matrimonia Infidelium, quamvis temporaliter subjectorum Ecclesiæ, hæc decreta non extenduntur; unde Matrimonia Judæorum, Turcarum, & hujusmodi, nec præsentia Parochi, & Testium indigent, nec denunciationibus. Eosdem, quando jam conjugati veniunt ad fidem, non obligari ad supplendas prædictas solemnitates, rectè notat Bossius. c

Tamburini de Sacramentis.